

& institutis dialogus informatur, quia eadem quæ in poësin, in dialogum quoque imitatio cadit. Oratorum etiam, quia soluto, non vincto numeris sermone utitur. Quemadmodum enim ipsa vita, ita & oratio quædam actio est, poësis autem actionis imitatio; unde accidit, ut cum Oratorum, tum Poëtarum dictio ad hujus decori regulam dirigenda sit. Ad Dialecticam denique quod attinet, est quoque dialogus nihil aliud, quam quædam dialecticæ disputationis imago, cum germana ejus, quæ sermonem permutat, ac velut in scenam introducitur, persona nulla alia dici possit, nisi quæ optimis imbuta literis de quacunque proposita re dialecticorum more novit differere. Ipsa græca vox διαλέγεσθαι, unde dialogus derivatur, notat quandam disquisitionem rationis, inter eruditos homines percontando & respondendo frequentatam: quæ etiam causa est, quamobrem accuratiores dialectici (inter quos & Joan. Sturmius *Lib. IV. Partitionum Dialecticarum*) aliquot capitibus naturam & requisita dialogi examinent, secuti Aristotelem, qui suos docuit unamquamque quæstionem dubiam & controversam in utramque partem tractare, quod ab illo in Peripatum introductum, & successores ejus observarunt. Testis ejus rei Cicero est, *Lib. II. Tuscul. Question.* ita scribens: Mihi semper Peripateticorum, Academiaeque consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes differendi non ob eam causam solum placuit, quod aliter non possit, quid in quaque re verisimile esset, inveniri, sed etiam quod esset in  
ea